

# IUSTI VELSII

HAGANI, IN CEBETIS THE-  
BANI TABVLAM COMMENTA-  
RIORVM LIBRI SEX, TOTIVS  
MORALIS PHILOSO-  
PHIAE THE-  
SAVRVS.

\*

In quibus nonnulla per occasionem tum  
de studiorum, artium, & scientiarum  
abusu & corruptela: tum contra ea,  
quæ nostra hac ætate in religione ex-  
orta sunt falsa & absurda dogmata,  
ad catholicæ & orthodoxæ ueritatis  
propugnationem & defensionem, pas-  
sim differuntur.

*Ex purgato Conforme  
al expurgatt. & clauso  
& 150) en Salam. 2  
Iunio 30 & 110  
& comission del  
1. officio*

Σὺν θεῷ ἢ τῷ τὰ πάντα ἀποδέξασθε καὶ μεθόσω. καὶ  
ἢ ἀρετῆσι διακονεῖτε ἑσέλων, καὶ ὄγε θυμὸς καὶ πᾶν τὸ  
ἄλογον ἢ λογιστικῶ ἢ καθαρῶ ἢ ἐπίκοον θετέον.

Ὁ ἀναγνώσκων νοεῖτω.

L V G D V N I,

M. D. LI.

*ex pag. 293 usque ad 311. caute legendasunt quæ de  
iustificatione per fidei deseruantur =*

*L. Juncos*

ILLVSTRIS-

SIMO ET REVERENDIS-

simo Antistiti D. Antonio Perrenot à

Grantuella, Episcopo Atrebatensi,

Cæsareæ Maiestati à consilijs,

Domino ac Patrono suo

in primis ueneran-

do & colen-

do,

Iustus Velsius Haganus S. P. D.



QVOD felix faustumq; sit, amplissi-  
me ac dignissime Antistes, iã tan-  
dem prodeunt in lucem, atq; adeo  
in tuo nomine apparent, nostrorū  
in Cebetis Thebani tabulam com-  
mentariorum libri sex, utinam non minus perfe-  
cti ingenio, quàm sunt summa & cura & uigilijs  
elaborati. In quibus non is solū nobis, quem  
enarrationis proprium esse Galenus asserit, pro-  
positus fuit scopus, ut quæ in autore nostro es-  
sent obscura perceptūque difficilia explicatione  
conueniēti aperta efficeremus & perspicua, sicq;  
lectorem ad eorum, quæ hoc opere continentur  
tantum, intelligentiam adduceremus, quod sa-





# CEBETIS THE BANI TABULA.



**I**N Saturni ut deambularem fano usu ueniebat, in quo multa quidem cum alia donaria contemplantur, tum uerò tabula quepiam ad templi ingressum suspensa erat, in qua peregrina quædam pictura, quæq; singulares haberet fabulas, continebatur: quas quænam essent, & ad quæ tempora pertinerent, coniectura assequi minime poteramus.

*In hac præfatione, quæ ad eum usque locum protenditur, ubi inquit, Accepta igitur uirga, hæc potissimum contineri quis dixerit: in primis congressus occasionem: deinde eorum præparationem, qui ad tabulæ explanationem adhibendi sunt auditores: quæ quibus partibus constet, suo dicemus loco.*

*Nunc de priori illo agamus, consideremusq; quàm opportunum huic sermoni initium dederit. Incipit enim à narratione, quæ primum quidem exponitur, quomodo peregrini ac hospites, ut serè fieri solet, loca ciuitatis celebriora dum spectant (quod tamen non additur, causam autem paulo post intelligemus) Saturni quoq; templum sint ingressi, ibiq; singula oculis lustrantes, in huius tandem tabulæ, cuius explanationem sibi propositam habet autor, contemplationem inciderint. Atque id quidem hic animaduertendum est maxime, neq; nimum longè hoc esse repetitum narrationis principium, neq; ut quis dixerit, abruptum, sed quammaximè*

*oppor-*



Quas verò appetitus esse statuunt, has in Βούλησιν, id est, vo-  
 luntatem, partiuntur, & προαίρεσιν, quam eorum qui hoc  
 seculo philosophantur nonnullis electionē appellare mos est.  
 Differūt autem hæc inter se, quòd προαίρεσις eorum quæ fie-  
 ri nequeant minimè sit: voluntas autem & horū, ut in hac  
 vita consequenda immortalitatis, quod fieri certè non po-  
 test. Insuper voluntas & eorū est, quæ per nos minimè fiant,  
 ut actorem quempiam aut athletam in certamine superio-  
 rem esse: electio autē nullo modo. Ad hæc voluntas finis ip-  
 sius est potius, electio verò eorum quæ ad finem referuntur.  
 Addunt autem nonnulli & huiusmodi differentiam, ut  
 Βούλησις quidem, ipsius per se sit rationalis anima, προαίρεσις  
 verò, cum irrationalitate copulata. Cum enim, inquiūt, ex-  
 tra generationem est anima, voluntate sola impellitur: nam  
 in solo acquiescit bono. Cum verò generationē fuerit ingres-  
 sa, quoniam irracionales ipsi coniunguntur facultates, tum  
 sanè propter irrationalis naturæ copulationē, electionis est  
 compos & particeps. Quam etiam ob causam, nūc quidem  
 ad irrationalitatem inclinatur & propendet, nunc verò ad ra-  
 tionem se applicat, & hoc illi eligendo præfert. In summa, ut  
 in ijs quæ in cognitione posite sunt facultates, ad mentem  
 se habet cogitatio, ita quodammodo & in his, ad voluntatē  
 electio. Nam voluntas quidem in id, quod aut absolute sim-  
 pliciterq̄ bonū est, aut certè cuiq̄ videtur, citra omnem ani-  
 mi agitationem promptè fertur: electio autem non nisi præ-  
 cedente quadam deliberatione. Unde rectè προαίρεσιν libro

tione magistra philosophis uisum est, Pythagorici praecepti memor, neq; sanitatē reliquaq; corporis bona negligat, neq; nimium studiū, nimisq; multā operā ponendam in ijs arburetur. Consimili autem ratione & externorū, quae corporis necessitatibus & usibus à deo & natura destinata sunt bona, cōditione cognita & percepta, nec in his comparādis ab officio honestateq; in ullo recedat, & horū amissionem, si quae forte, quae ipsorū est lubrica & incerta natura, incidat, placatē & moderatē ferat, atque hac ratione cōpositē ornatēq; uitam degens sibi conuenientem adipiscatur beatitudine. Qui uerò contrā confuso perturbatoq; expetendorū fugiendorūq; ordine, uel primis ac medijs postrema, uel media postremaq; primis eligēdo praeferat, aut quomodocunq; aliter ordinem inuertat, huic omnia contraria eueniant necesse est, & cum incōposita turpiq; uita ad infelicitatē & miserā detrudatur. A qua spiritus sui sancti lumine menti nostrae eiusq; actionibus praefereudo, nos conseruare dignetur, & ad beatitudinē adducere, qui omnis boni fons est & origo, Dominus noster Iesus Christus, aeterni patris aeterna sapientia. Atque hic quidem commentariorum nostrorum in Cebetis Thebani tabulam finis esto.

Reliquum est, ut quam nos scribendo & commentando, eam nos legendo intelligendoq; praestetis operam.

FINIS.

